

circumvolutus, hujus ope illam facile & attolleret & demitteret: Totum denique hoc machinamentum firmavimus supra naviculas duas ex tiliæ ligno sculptas, septendecim circiter digitos longas ac septem latas, tignisque transversis, LM, NO, ante retroque firmatas & connexas, ut aquis impositæ junctim natarent, impositamque sibi machinam urinariam illæsam quaquaversum deportarent.

VIII. Ita paratam hanc fabricam aquis imposuimus intra cupam grandiore, observavimusque *primò* navigiola, Phæn. IV. antequam campana in aquas esset demissa, mersa profundius ad supremam ferè oram; deinceps autem, cum aquas campana subiisset, eadem magis magisque emerfisse: *secundò* Phæn. V. progredientibus cymbis facillimè quoque sub aquis unà *pro-* Phæn. VI. gredi campanam: *tertiò*, tametsi valdè agitata esset aqua interim dum campana demittebatur, hujus tamen descensum nec impeditum esse, nec aëris quidquam illam emisisse; cujus rei ut periculum faceremus, in causa fuit dubium cujusdam ex auditoribus nostris, qui suspicabatur in mari ferè semper turbulento & fluctuante campanam etiam grandiore vix posse demitti, quin evertatur à fluctuum perpetuo impetu: *quartò* pupulam in campanæ medio confidentem, retractâ Phæn. VII. notabili profunditate campanâ, siccam tamen penitus & intactam rediisse oculorum pariter ac tactûs sensu deprehendimus: quin & *quintò* accensum cereum pupulæ manibus inditum sub ipsis aquis aliquandiu ardentem spectavimus, Phæn. IX. paulò post tamen extinctum; quæ extinctio *sextò* seriùs Phæn. X. consequēbatur, cum ampliorem campanam, & eam tamen itidem vitream, isto phænomeno seorsim adhibuissimus: Imò, cum mersam etiam altiùs hanc grandiore cum accenso cereo campanam ocyus retraheremus, salvam etiam flammam in auras superas reducere licuit, eâ saltem adhibitâ cautelâ, ut, cum extremâ suâ orâ contigisset aquæ summitatem, eam ne subitò inde, sed lentè & inclinatum aliquantum, extraheremus; celeriter enim & rectâ sursum extractâ,